



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI  
TRES ||**

**Schottus, Franciscus**

**Antverpiae, 1600**

Patavivm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

## PATAVIVM.



**A**D Meduaci fluminis ostium proficiscere, obstructum olim à Venetis; ne fluuius ibidem stagnis illabens, eius lacunas & euripos opereretur, suaque alluione sensim terrestrem accessum ad urbem faceret. *Leuca officinam* nunc appellant locum, vbi nauigia mercibus onusta rotarum volubili machina ex aquis sublata per aggerem hinc inde transferuntur, vel è stagnis in fluuij fossam, vel ex fluuiio in ipsa stagna.

Perlustrabis insignia quæque amplissimæ urbis loca; & ædificia, portas marmoreas, triplices muros, atque fossas immisso Meduaco flumine profundas ac navigabiles, propugnacula ingentia, quibus Veneti nunc urbem istam, & antea Carrarienses Principes exornarunt, & inexpugnabilem reddiderunt. Videbis lapideos pontes, fora spatiosa. Adscendes deinde in sublime prætorium plumbo tectum, *Palatium maius* appellant, statuis & picturis excellentibus ornatissimum; vbi monstrantur virorum illustrium *Patavinorum* effigies, qui suis virtutibus immortalem famam nacti, urbem illã vel natiuitate, vel morte sua decorarunt: vt *T. Liuij* Romanæ historiæ principis, cuius etiam ossa perhonorificè ibidem marmoreo in sepulchro condita esse affirmant; vt Imperatorum quorundam, item *Asconij Padiani* oratoris, *Arrunij Stella*, & *Valerij Flacci*, poëtarum; *Iulij Pauli* iurisconsulti, qui Alexandro Seuero Imperatori à consiliis fuit; eos breuiter elegantis poëtæ Germani versibus perstringere lubet, qui de hac vrbe celeberrima sic cecinit:

*Salve vrbs doctiloquis sedes aprissima Musis,  
 Magna loco, spaciōsa foris, placidissima cali  
 Temperie, muroque triplex, latissima fossis;  
 Et magnis celebrata viris. Hac Liuius ille  
 Historia pater est genitus. seruantur eodem  
 Illius ossa loco, statuis, tituloq; superbo;  
 Hic ubi iuncta foro, nullis fulcita columnis.  
 Plumbea marmorei pulchrè stant tecta palatj.  
 Hic etiam Paullus, iuris legumque peritus,  
 Et statuas alij meruerunt vrbs alumni.  
 Hac quoque Valerio patria est, qui Iasona laudat.  
 Hac patria Asconio, & Stellæ; pratoris in arte  
 Effigies quorum & titulos spectare licebit,  
 Atria Romanum referunt ubi picta senatum.  
 Hic quoque suprema Longoli conderis urna,  
 Inscrisitq; tua Bembus tria carmina tumba.  
 Te inuenem rapuere dea fatalia nentes  
 Stamina, cum scirent moriturum tempore nullo,  
 Longoli, tibi si canus seniamq; dedissent.  
 Docta & ingeniosa ibidem epigrammata  
 plura enotabis. Perges deinde ad D. Iustinæ  
 monasterium per amplum Benedictinorum, vbi  
 vasta templi noua moles è quadrato saxo ma-  
 gnis impensis, & architectura mirifica extru-  
 cta est. Monstrantur ibidem D. Lucæ Euangeli-  
 stæ reliquiæ & ossa in monumēto alabastrico  
 antiquo, nec non aliorum diuorum martyrum.  
 Iunonis olim sanum eo loci fuisse Blondus & anti-  
 quarij perhibent, cuius Liuius libro x. meminit;  
 scribens classem Græcorum Cleonymo Sparta-  
 no duce ab Aemilio consule è Salētinis pulsam,  
 ad Venetorum litora à Patavinis victam fuisse,  
 & rostra nauium, spoliaque Græcorum victoria  
 nauali parata, in veteri Iunonis æde fixa suo  
 etiam tempore superfuisse. Volunt etiam T. Li-  
 uij reliquias, & sepulchrū ibidem inuentas esse.*

VICEN-